

etiam mutatis delineamentis, aut earum aliquot extrahere, delineare, scalpere; sicuti nec Adnotationes, vel Meditationes supradictas simul, vel seorsum ab ipsis Imaginibus, vel earum aliquot; absque expressa & in scriptis redacta ipsius Martini Nutij licentia, quouis quæsito colore, causa, vel prætextu ad cuiusvis personæ instantiam imprimere seu excudere, aut extrahi, delineari, scalpi, imprimi, seu excudi quouis modo facere, aut in totū, aut in partē delineatas, sculptas, impressas, seu excusas in quouis loco vèdere, seu venales exponere, apud se retinere, vel habere, seu alicui alteri tradere, aut cōcedere quouis modo præsumat; in hac quidem vrbe nostra, & in toto statu Ecclesiastico sub mille ducatorum auri de Camera, pro vna delatori, & alia Camera nostræ Apostolicæ, ac reliqua tertijs partibus locis pijs irremissibiliter, necnon amissionis librorum, Imaginū, laminarum, ac delineamentorum quorumcunque ad opus huiusmodi quomodolibet pertinentium ipsi Martino applicandorum: extra verò Urbem ipsam, ac ditionem Ecclesiasticam vbique locorum Excommunicationis latæ sententiæ, à qua nullus præter Romanum Pontificem absoluerè possit, pœnis toties, quoties contrauentum fuerit eo ipso incurrendis, districtius inhihemus. Et nihilominus vniuersis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs vbique, & in statu nostro temporali etiam Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, & alijs Iustitiæ Ministris, præcipimus, & mandamus, vt durante dicto decénio quoties pro parte dicti Martini fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus, sibi in præmissis efficacis defensionis auxilio alsistant, & ea obseruari faciant, & contra inobedientes per prædictas & alias eis benè visas sententias, censuras, & pœnas appellatione remota procedant, inuocato etiã ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus quibusvis Cōstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque indultis, ac literis Apostolicis, quibusvis personis & locis sub quibuscunque tenoribus, & formis concessis, ac iteratis vicibus confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si de illis specialis mentio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem vt præsentium transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub anulo Piscatoris die xiiij. Augusti. M. D. XCIII. Pontificatus nostri anno secundo.

*M. Vestrius Barbianus.*